



Suevus patri suo Gambriuo successit, atq; rex
 magnæ Germaniæ electus fuit. regnavit is ma-
 gna gloria annos circiter quinquaginta. Hic mili-
 es suos atque armis exercitatos homines de sese
 Sueuos appellavit, qui postea magnam partē Ger-
 mania possiderunt, & multis privilegijs exornati
 fuerunt. Nam à rege Sueuo edocti bellicosissimi
 postea inter oēs Germaniæ populos habitati sunt. Il-
 li ab Hercynia sylva usq; ad medium Albis proten-
 si: inde verò ab Albi fluvio Suevi Senones ad Sue-
 vum annum usq;, quem incolæ Oderam uocant,
 omnia tenuerūt. Eius regionis habitatores hodie
 Lusatij et Silesij dicuntur. Itaq; pars una Suevię in

magna Germania inter Rhenum & Danubium sita est, altera inter Hercyniã
 sylvam, Lycum, Rhenum, & Danubium uersus Italiam sese extendit. Cæteri
 Sueui in Gallia Celtica confederunt, ubi postea Heluetij habitarunt.